

et premere et laxas sciret dare iussus habenas.
ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est:

'Aeole, namque tibi divom pater atque hominum rex ⁶⁵
et mulcere dedit fluctus et tollere vento,
gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor,
Ilium in Italiam portans victosque penates:
incute vim ventis submersasque obrue puppes,
aut age diversos et dissice corpora ponto. ⁷⁰
sunt mihi bis septem praestanti corpore nymphae,
quarum quae forma pulcherrima Deiopea,
conubio iungam stabili propriamque dicabo,
omnis ut tecum meritis pro talibus annos
exigat et pulchra faciat te prole parentem.' ⁷⁵

Aeolus haec contra: 'tuus o regina, quid optes,
explorare labor; mihi iussa capessere fas est.
tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptra Iovemque
concilias, tu das epulis accumbere divom
nimborumque facis tempestatumque potentem.' ⁸⁰

Haec ubi dicta, cavom conversa cuspide montem
inpulit in latus: ac venti velut agmine facto,
qua data porta, ruunt et terras turbine perflant.
incubuere mari, totumque a sedibus imis
una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis ⁸⁵
Africus et vastos volvont ad litora fluctus.
insequitur clamorque virum stridorque rudentum.
eripiunt subito nubes caelumque diemque
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra.
intonuere poli et crebris micat ignibus aether, ⁹⁰
praesentemque viris intentant omnia mortem,
extemplo Aeneae solvontur frigore membra;
ingemit et duplicis tendens ad sidera palmas
taliam voce refert: 'o terque quaterque beati,
quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis ⁹⁵
contigit oppetere, o Danaum fortissime gentis
Tydide. mene Iliacis occumbere campis
non potuisse tuaque animam hanc effundere dextra,
saevos ubi Aeacidae telo iacet Hector, ubi ingens

1*